



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Variæ hominis cum feris misturæ. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

diuersis animalibus coire. Hyænæ coitu læna Æthiopica parit crocutā, inquit Plinius, & ab eo Solinus. Luxuriosissimum animal quoq; panthera, vt cum diuersis etiam coeat. Vnde

ex lupo & panthera lycopā heros siue thoes gignitur.

Panthera libidinis tempore admodum vocalis est, & ad eius vocem animalia eiusdem, aut varij generis accurrunt. Sæpe etiam lupi cum pardalibus complexu venereo implicantur, vnde nascuntur Thoes, ac pellis quidē varietate matris, aspectus autem patris, speciem similitudinemq; gerūt. Oppianus ex panthera & lupo Thoes generari dixit, nec sui generis animal.

Sæpe numero aut rursū lupi etiā cū pantheris cruentis

Ad cubile accesserunt, vnde durissimi tergoris genera

Thoes: simul ferunt duplicem mistum colorem,

Matrem quidem pelle, capite autem rursū patrem.

Ex lupo & hyæna etiam nascitur thoes.

Altera est quoq; mistura ex lupo & hyæna ab Hesychio, & Varino descripta. Græcè *δδες* dicta. Scholium in Homerum similem hyænæ dicit, hanc alij chaos dicunt. Plinius. Pompei magni primum ludi ostēdere chaum, quem Galli raphium vocant, effigie lupi, pardorū maculis. Sed admirabile traditur, à Græcis adulterium

Ex sue & camelo bactrianam camelum nasci.

Didymus .n. in Geoponicis græcis bactrianā camelum in ijs montibus qui ad Indiā pertinent, concipere ex apris simul pascentibus profitetur: natus autē ex sue, siue apro, & camelo fœmina gignitur camelus, geminatum tuber habens. Verum quemadmodū ex equis & asinis plurimas notas patris fert mulus, sic camelus oritur ex femine suis, tāquam indicium virtutis, robur, pilorumq; densitudinem cōtrahit, nec in luto tam facile, vt camelus labitur, sed erigitur statim suis viribus ponderisque fert duplum quam cæteri. Vocant autem ipsos & merito Bactrianus, quod primo fuerint in Bactris nati.

Varia hominis cum feris mixtura. CAP. XII.

PVDET profectō, pudet referre hominem animalium omnium principem etiā cum feris se commiscuisse, vt semiferi pardus passim viderentur, vt ij plus-

quam ferini, & beluini dici possint. Nos ad horum impiorum hominum memoriam exprobrādam, pessundandamque aliqua comminiscemur exempla. Negat Plutarchus beluas cum alieno genere amorem contrahere, hominem vero nefarijs voluptatibus furere, vt quosdam non pudeat cum equabus, capris, & alijs flagitiosissime congređi. Est enim homo inter animalia luxuriosissimus, omni temporis momento ad cōcumbendum paratus, vt in tempore vteri gestationis cum multis animalibus communicet, quæ omnia ad monstrificos, & semiferos partus producendos conferunt: & si detestanda scribemus, profunt tandem, quod nature secreta perscrutantibus ad alia non parum afferant momenti. Narrat Plutarchus in conuiuio sapientum in domo Periandri allatum à pastore

Ex equa, & homine infantem natum.

Cuius caput, collum, & manus hominis essent, cæteri equi, ciulatus infantium. Hoc inspecto Thales Periandro dixit, sibi quidem non videri rem prodigiosam, & cœu portentum à Dijs immisum, quo seditiones & dissidia significarentur, vt Diocles iudicabat, sed rem esse naturalem, ideoque consulere se, vel equisones non habeant, vel vxores ei tradant. Idem tradit in paralellis ex Agesilao tertio rerum Italicarū Fuluium Stellam muliebri odio equæ se commiscuisse, quæ deinde puellam peperit admodum formosam, & tempestiue quidem Eponam appellatam. Idemque Plutarchus tradit,

Ex homine & asina puellam genitam.

Ariston enim Aristonymus Ephesus Demonstrati filius muliebrem genus perorsus, cuidam se immiscuit asinæ, quæ suo deinde tempore puellam specie honestissimam peperit: cui Onosceli nomen fuit, idque ex Aristotele recepisse tradit secundo mirabilium. Sed hoc videtur Galeno impossibile, & naturæ, quum mistio sit animalium tantum differentium: neque enim si coitus homini cum equa fiat, recipiet matrix sperma, quum longiori pudendo opus fuerit, & si quādo superet, corrumpet utique, vel mox, vel non multo post. Et si in conce-
pta

ptu misceretur, & perficeretur hoc animal, quibus nutrimentis nutretur iam natū? Sed mihi non impossibile videtur etsi difficile, quum non æquè omnes & homines eadem cōplexione consent, sed possibile reperiri homines equine complexionis similes aliquantulum, & sunt etiam qui longiori pudendo fruātur, & sunt inter equas, quæ breue matricis collum habeant: & fortasse aliqua cœlesti influentia semina animata concipiant, & partum ad debitum tēpus producant. Hæc quia rarissimè congruunt, rarissimè eiusmodi partus videntur. Aliam narrat Ælianus historiam,

Ex homine & capra semiferum partum

natum esse. In Sybari adolescens quidam Crachis nomine capriarius, qui quum caprini amoris libidine flagraret, vt omnium formosissima venereo cōplexu iungeretur, eamq; ipsam in amasiæ loco haberet, donaq; ei daret, hederam nimirum, & iuncum edendum ei obiebat, os illi reddens ad osculationem suaueolentius: substernebatq; ei herbas molles, & teneras, vt mollius dormiret, quod vt hircus dux gregis prospexit somno capto, facto impetu, cerebrum diminuit: suo tempore capra infantem dedit, caprina habentem crura, & faciem humanam. Scribit idem

Mulieres cum hircis & cynocephalis coire.

Et venereo complexu frui, qui ad eò libidinosi sunt, vt libidinis furore in virgines insaniant, & vim inferant. Herodotus libro secundo scribit, hircum cum muliere couisse propalam, vt in hominum ostentationem venerit. Strabo: In mediterranea supra Sebenicū & Pharnicum ostium est Xoïs insula, & ciuitas in Sebenica præfectura, & Hermopolis & Mendes, vbi Pan colitur, & hircus animal, & (vt Pindarus ait) hoc in loco hirci cum mulieribus coeunt.

Plurimūq; Nili cornu caprarum pascuntur greges.

Et lasciuia mulieribus admisceantur hirci.

Ælianus item Indos simias rufas in vrbes non adducere, quod Veneris libidine inflammatae in muliebrem sexum furentes sint, ac si quando deprehendant eas,

tanquam adulteros odio persequentes interficiunt.
Coit etiam &

homo cum variis feris.

Vt Plinius scribit. Indorum quosdam cum feris coire,
mixtosque & semiferos esse partus.

*Ex varia auium commistione posse varias aues ge-
nerari. CAP. XIII.*

ANTEQVAM ad auium commistiones descenda-
mus, animaduersiones quasdam commemorabi-
mus ad earum facilitatē; vt si vsu euenerit vitia aliqua
emendare, vt ad nostras commoditates aptiores sint, id
expeditius exequi possimus. Diximus ex Aristotele cō-
miscibilium animalium par sit magnitudo, par vteri-
gestationis tempus, ouorū excubatio, coloris similitu-
do, & inter cætera luxuriæ præseruidæ, vt cum alieni-
genis facile coeant. Si aucupi pugnaces accipitres, gal-
los, vel alias aues producere cordi fuerit, oportet mares
pugnaces, fortes, & robustos habere, vt tales filios pro-
ducant. Nec minus robustas & generosas matres requi-
rat: nam si pater aut mater sola sit generosa, filius patris
ignauiam & desidiam potius, quam matris generosi-
tatem retinebit. Vbi parentes optimos elegeris, prius-
quam simul commisceas, effice, vt domesticis edibus se
associent, & primo familiaritatem aliquā incant, quod
optimè cohabitatione, & cibo efficies. Fiat igitur do-
muncula decem plus minus pedibus lata, longaq; in ea
fenestellæ omnes ad meridiem spectent, vt de summo
tecto copiosè satis lumen administretur. In medio cra-
tes vimineæ cellulam diuidant. Interuallum cratium
tantum sit apertum, quantum satis sit auis capiti, col-
loque transmittendo, & in vno cubiculi latere sola auis
regnet, quam cicurem reddere volumus, alterum verò
latus habeat illas, cum quibus hospitem coniungere, &
commiscere querimus. Veris igitur initio (quo tempo-
re omnia animalia luxuriæ stimulo vexantur) habeas
aues cœcunditatis cognitæ, sintque plumis similes ei,
quam cicurare studes. Has aliquot diebus communi
pabulo ales, verum ita obiecto cibo, vt hospes in cicu-
rum